



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Synodvs Landavensis Svb Gvrcañ X. Landaviae Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

lud factum profunde nimis vindicet, qui rex sit in populo.



SYNODVS LANDAVENSIS ANNO CHRISTI

SVB GVRCAN X. LANDAVIÆ EPISCOPO.

*In qua Teudur rex Brechmania ob homicidium & periurium excommunicatur.*

De annis quibus habitæ sunt sequentes Synodi non constat, propter regum & antistitum qui in eisdem nominantur obscuritatem.

**R**EGES Teudur filius Rein & Elgistel filius August, reges Brechemanc iurauerunt super altare sancti Dubricii per sancta sanctorum, antepositis sacris voluminibus & reliquiis, quod nullus alteri insidiasset, & quod firmam pacem inter se tenerent sine dolo, & præsentem Guruanno episcopo cum clericis suis, & tali pacto insuper, quod si vnus alteri dolum faceret, totam suam hereditatem quietam clamaret, & iret in peregrinationem viduato regno suo, & mansurus semper in exilio. Post hæc diabolus, qui patrem nostrum Adam primum parentem nostrum subdola admonitione sua proiecit de paradiso, id est, de sede deliciarum cum pace quietâ; ille idem fecit fraude sua quod Teudur rex rupta pace occidit Elgist filium August, vtrumque faciens homicidium simul & periurium.

Quo factò audito episcopus Guruano, simul cum clero suo, homicidium simul & periurium excommunicauit, denu- dando altaria Dei, & prosternendo cruces ad terram, simul & reliquias sanctorum, ablata sibi tota communione Christiana. Post hæc videns rex Teudur pati non posse maledictionem & iustitiæ rigorem, quaesuit veniam compuncto corde cum effusis lacrymis: Et imposito sibi iugo pœnitentiæ ad modum qualitatis & quantitatis, ne terra sua dispoliata fieret carens principe, consilio fratrum totius parochiæ, illum fecit remanere in regno, emendaturum in omnibus suum scelus elemosyna, & oratione, & ieiunio. Rex Teudur in primis offert Deo, data sibi tanta remissione, & sancto Dubricio & Guruano, & suis omnibus successoribus in ecclesia Landaviæ & sanctorum Dubricii & Teliui, *Lan Michael treserian* cum sua tota terra, & cum omni sua libertate, & tota communione in campo & in siluis, in aqua & in pascuis sine vlllo censu homini terreno nisi



ANNO  
CHRISTI  
....  
S I S  
O.  
urium  
t, re-  
Dubri-  
ous &  
rmam  
uanno  
ad fi  
quie-  
regno  
s, qui  
n sub-  
e sede  
de sua  
gust,  
o suo,  
denu-  
simul  
Chri-  
male-  
com-  
i ingo  
e terra  
totius  
um in  
iunio.  
missio-  
accef-  
& Te-  
n om-  
filis,  
no nisi

ecclesiæ Landaviæ & pastoribus eius. De clericis testes sunt Guruan episcopus, Eluid, Cuan, Concu, & Concu. De laicis Teudur rex, Conurit filius Concolen, Petran, Eluiu, Bacuc. Quicumque custodierit, benedicatur, qui autem ab ecclesia Landaviæ separauerit, anathema sit. Finis illius est de via magna quæ est ab Austro per spineum rubum inde vsque ad riuulum *Tanguel*, qui est ab Aquilone. &c.

## SYNODVS LANDAVENSIS

SVB BERTHGVIÑO XIV.

IBIDEM EPISCOPO.

*In qua Clotri regem causa homicidii & periurii  
excommunicat. &c.*

SESSIO DVPLEX.

**R**EGES Clotri & Lundgualaun antepositis euangeliiis sacris, & reliquiis super altare Gartbenni coram episcopo Berthguino, simul cum clero iurauerunt vt simul inter se firmam pacem tenerent, sine dolo & damno in omnibus. Et tali pacto, vt quisquis illorum rumperet, totum regnum suum quietum clamaret, pergens in peregrinationem vsque ad finem [ vitæ ] in exilio, nec posset redimere se, neque regnum auro nec argento. Post interuallum occidit rex Clotri rupta pace sua Lundgualaun, vtrumque faciens homicidium & periurium fraude subdola.

Audito tam grandi facinore, & violata pace surrexit episcopus, & fecit conuenire ad sacram Synodum Landaviæ omnes clericos totius parochiæ ab ostio *Taratyr* super Gui vsque ad ripam *Tyui*, & plena Synodo excommunicauit regem cum sua progenie simul & regnum, denudando altaria Dei, & deponendo cruces ad terram, & dimisit patriam sine baptismo & communionem. Post hæc rex non potuit pati tantam excommunicationem, quasi-uitque veniam cum magna deuotione: & aduocauit episcopum Berthguinum cum tribus abbatibus suis, Sulgen abbate Carhani vallis, Saturn abbate Docunni, Gurhual abbate Ilduti, vt venirent obuiam ad ecclesiam Gartbenni, vt sicut eam violauerat, & eius refugium faciens homi-

Aaaa iij



cidium & periurium ex alia parte faceret, & eam emendatam, sufferens diuinum iudicium cum emendatione, tam corpore, quam anima, cum ieiunio, & oratione, & eleemosyna. Qui postquam venerunt ad ecclesiam Gartbenni, iudicauerunt illum transgressorem mandatorum Dei, vt quod promiserat iurando, & simul vouerat, sacramento faceret sine aliquo obstaculo, & obtemperans Deo, & mandatis Dei & episcopi, reliquit patriam, & iuit in peregrinationem. Et post multum temporis rediit ad patriam suam, & quæsiuit veniam apud episcopum per Morcant regem intercessorem suum; & audita eius prece dimisit eum in patriam emendaturum se in omnibus, & facturum condignam iustitiã. Et accepto sibi iugo penitentia in omnibus, immolauit Deo & sanctis Dubricio, Teliauo, Oudoceo, & Berthguino episcopo, & omnibus sibi succedentibus in ecclesia Landauia agrum *Helic*.... cum tribus vnciis agri, & agrum *Tencu* cum duabus vnciis agri, cum omni libertate sua & tota communione peruia incolis in campo & in siluis, in aqua & in pascuis. De clericis testes Berthguinus episcopus cum tribus abbatibus suis prædictis. De laicis Clotri, Morcant, Iaco, Guednerth, &c. Qui custodierit, custodiat eum Deus: qui hæc ab ecclesia Landauia separauerit, anathema sit. *Amen.*

## SYNODVS ALIA LANDAVENSIS

SVB BERTHGVINO XIV.

IBIDEM EPISCOPO.

*In qua Gurcan ob incestum cum nouerca sua  
excommunicatur, &c.*

**P**OST obitum Guinam, tenuit Gurcan regionem patris sui, simul & nouercam incestuose, propter quam excommunicatus est ab Ertguino episcopo, & a plena Synodo congregata in vnum Landauia ab ostio *Taratyr* vsque ad hostium *Tyui*, & facta excommunicatione, & depositis crucibus ad terram cum sanctis reliquiis, & versis cymbalis, requisiiuit veniam & resolutionem dimissa nouerca cum satisfactione, per regem Iudhailum intercessorem suum. Et data ei venia cum emendatione vitæ, ieiun-



ANNO  
CHRISTI  
.....

nio, & oratione, & eleemosyna, dedit terram *Machinis* agrum sex modiorum Deo & Petro apostolo, & sanctis Dubricio, Teliavo, & Oudoceo, & episcopo Berthguino, & omnibus successoribus suis in ecclesia Landavia in perpetuo, cum tota sua libertate, & omni communione, in campo & in aquis, in filua & in pascuis, & ita quod ipse iuravit nunquam retracturus hanc eleemosynam, & ita super altare sancti Petri, & sanctorum Dubricii, Teliavi, Oudocei Landavia: & facta sibi excommunicatione, quicumque de linea sua, aut de alia origine ab ecclesia Landavia separauerit. Et recepit vxorem propriam filiam *Elfin*. De clericis testes sunt Berthguinus episcopus, &c. De laicis Iudhail rex, Gurcan, Gabran, Elfin, Elguarui. Quicumque custodierit, custodiat illum Deus; qui hæc ab ecclesia Landavia separauerit, anathema sit. *Amen.*

SYNODVS LANDAVENSIS  
SVB CERENHIR XVIII.  
IBIDEM EPISCOPO.

*In qua Houel rex Gleuifficg homicidii & periurii causa  
excommunicatur. &c.*

**C**OGNITVM sit omnibus Christianis regibus & principibus, & catholicis viris vtriusque ordinis, tum clericalis, tum laicalis, in dextra parte Britannia maxime habitantibus, quod Gallun filius Cidrich motus ira & furore furrexit contra dominum suum eleuato suo capite, Houel videlicet regem Gleuifficg filium Ris, rupta sua pace, & voluit ei auferre terram *Lan Tyuei* vi sua & fortitudine. Et audita lite & contentione inter regem & principem per totam regionem, hortatus est Cerenhir episcopus Landavia eos concordari facta pace. Et ei obtemperantes, audita pace venerunt ad Landauiam cum magno milite, & super altare sanctorum Dubricii, Teliavi, & Oudocei, antepositis sacris euangelii, iurauerunt pacem amplius sine aliqua fraude & insidiis, presentibus tribus abbatibus, Elifael abbate Catoci, Elifæo abbate Ilduti .... abbate Doccunni, Ciuaret lectore, Guerngern, Rind, Esne, Pascen: presentibus laicis Mor, Morchitir, Iudeant, Embresel,



Post hæc rex Houel rupta sua pace, faciens vtrumque homicidium simul & periurium, occidit Gallun per domum. Et occiso eo, congregauit episcopus totam Synodum apud Landauiam, congregatis in vnum clericis totius parochiæ ab ostio *Taratyringuy* ad ostium *Tyvi*, omnibus & vna voce depositis crucibus ad terram, & versis cymbalis simul cum reliquiis sanctorum ablatis altari, & proiectis in terram, excommunicauit regem, auferens ei totam Christianam communionem: & in eadem excommunicatione mansit fere per annum integrum.

Post hæc rex non sustinens tantam excommunicationem, meritis suis exigentibus, quæsiuit veniam apud Landauiam nudis pedibus cum effusis lacrymis, & data venia ei cum iuncta pœnitentia publica, homicidii simul & adulterii consilio patruelis sui Mourici promittens emendationem tam animæ quam corporis amplius in ieiunio, & oratione, & elemosyna, largitus est Deo & sanctis Dubricio, Teliauo & Oudoceo, & in manu Cerenhiro episcopi, & omnibus episcopis Landauix in perpetuo, coram prædictis & attestantibus illis omnibus *Merthir buceil*, & *Merthir Minor*, cum 4. modiis terræ circa se, & semimodium *Tircollou* .... cum sua tota libertate sine vllo censu vlli homini terreno, nisi ecclesiæ Landauix & pastoribus eius, & tota communionem in campo, & in siluis, in aqua, & in pascuis. Quicumque custodierit, benedictus sit: quicumque violauerit, maledictus sit. *Amen.*

---

SYNODVS ALIA LANDAVENTSIS  
SVB CERENHIRO XVIII.  
IBIDEM EPISCOPO.

*Ili filius Conblus homicidii & periurii causa excommunicatur. &c.*

**R**EGNANTE rege Mourico Gleuiffieg filio Iudhail, conuenerunt Ili filius Conblus simul & Camauc ad monasterium Landauix, & præfente Cerenhiro episcopo cum suo clero firmauerunt pacem suam, deleta & oblita veterrima inimicitia, iurantes ambo super altare Petri apostoli, & sanctorum Dubricii, Teliaui, Oudocei, antepositis sacris euangelii, & sanctorum reliquiis. Post interual-  
lum



ANNO  
CHRISTI  
....

lum, ille qui stabat in praesentia Dei cum gaudio in caelesti paradiso, & per semetipsum praesumendo, dicens: *Ponam sedem meam in Aquilone, & ero similis Altissimo: & cadens liuore & superbia traxit secum de summo throno partem ad barathrum de consentientibus sibi immundis spiritibus, partem misit in aera: & qui Adam protoparentem nostrum factum verbo Dei aeternum, & sanctum, & positum in sede deliciarum cum summa felicitate & gaudio, decepit fraude sua subdola, & proiectum de paradiso cum vxore, egentem & tristem amisso suo gaudio: ille idem antiquus hostis, stimulo inuidiae suae adhuc remanente, & in prole fecit praedictis discordari rupta pace sua in tantum quod Ili membrum antichristi occidit Camauc insidiosae, vtrumque faciens homicidium simul & periurium.*

Post haec, audita fama nequitiae & impietatis per totum regnum, episcopus Cerenhir adunauit totum clerum totius parochiae infra *Taratyr* super ripam *Guy* & ostium *Tyui*, apud Landauiam, & consilio totius Synodi abstulit praedicto Ili homicidae & periuro, depositis crucibus ad terram, simul & reliquiis sanctorum cum cymbalis, totam Christianorum communionem, & participationem: & ita per aliquantulum temporis remansit excommunicatus, & vi & rigore iustitiae compulsus, non valens amplius sustinere sarcinam nequitiae & facinus, requisituit veniam effusus lacrymis cum nudis pedibus apud episcopum Cerenhir in Landauia. Et data sibi venia & poenitentia, ad modum vtriusque culpae homicidii & adulterii, simul & excommunicationis, stans in medio ecclesiae promisit emendaturum se in omnibus ieiunio, & oratione, & elemosyna, & verbo Mourici regis & consensu largitus est Deo pro salute animae suae, & sanctis Dubricio, Teliuuo, & Oudoceo, & in manu Cerenhir episcopi, & omnibus episcopis Landauiae in perpetuo, villam *Guliple* minorem cum sua tota libertate, & omni communionem, in campo & in siluis, in aqua & in pascuis. De clericis testes sunt Cerenhir episcopus, Clisael abbas Caroci, Elisaed abbas Ilduti, ..... abbas Docunni, &c. De laicis, Mouric, Ilic, Alexander Ili filius, &c. Quicumque custodierit, custodiat illum Deus: qui hoc ab ecclesia Landauiae separauerit, anathema sit.

*Concil. Tom. 24.*

Bbbb



SYNODVS LANDAVENSIS ANNO  
CHRISTE  
....  
SVB GVLFRIDO XX.  
IBIDEM EPISCOPO,

*ob violatum ecclesie patrimonium habita.*

**L**OVARCH filius Gatguocaun deprædatus est Aperguenfrut, & cepit Eicolf filium Cinhor cum omnibus rebus suis supelletilibus. Et facta illa iniquitate cum nimia ira & feruore in territorio sanctorum Dubricii, Teliaui, Oudocei, & refugio: mandauit episcopus Gulfrid clericos ecclesiastici ordinis de omni parochia infra ostium Taratyr super ripam Gui & ripam Tyui apud Lannoudocui. Et audita congregatione, simul & adunata pro tanta transgressionem, Loumarch requisit veniam, inclinans se ad terram flexis genibus, & effusis lacrymis coram episcopo & coram antepositis sacris reliquiis, crucibus & cymbalis, offerens se passurum & accepturum, recognoscendo delictum, canonicam sententiam & iudicium.

Inito consilio cum Synodo, & cum quibusdam parochiæ optimis viris laicalis ordinis, & catholicæ fidei, condonauit ei episcopus redditus sibi & suis omnibus rebus suæ vastationis, data sibi remissione, & iniuncta poenitentia admodum culpæ; & post datam veniam Loumarch largitus est in elemosyna villam *Trefscarn pont* cum tribus modiis terræ Deo & sanctis Dubricio, Teliauo, & Oudoceo in manu Gulfridi episcopi, & omnibus episcopis Landauix in perpetuo, cum tota sua libertate, & cum omni communionem in campo, & in siluis, in aqua & pascuis, verbo & consensu Catell regis Guenti filii Arthmail. De clericis testes sunt Gulfridus episcopus, Duun sacerdos, Diuungual Laun abbas Lan Euniaun, id est, Lan Oudocui, Disfaith lector, Aircoit doctor, &c. De laicis Catell rex, &c. Quicumque custodierit, &c.



ANNO  
CHRISTI  
....

SYNODVS LANDAVENSIS  
SVB CIVEILLIAVC XXII.

LANDAVIÆ EPISCOPO.

*Aduersus Brochvail regem congregata.*

SCIENDVM est quod discordia facta est inter vtramque familiam Ciueilliauc episcopi & Brochvail filii Mouric apud Landauiam: & facta iniuria & incœpta a familia Brochvailli, motus est episcopus, & congregauit omnes clericos vsque ad inferiores gradus, missis legatis per totam parochiam infra ostium Taratyr in Gui vsque ad ostium Tyui. Et adunatis illis, voluit Brochvaillum & totam familiam suam sibi forisfactam, & Deo exosam, propter suam nequitiam & iniuriam excommunicare coram omni populo in plena Synodo.

Et audiens Brochvail tantam summonitionem super se, quæsuit veniam & indulgentiam apud Landauiam: nec aliter habere potuit nisi sufferret canonicum iudicium. Et discussio iudicio, iudicatum est episcopo precium faciei suæ longitudine & latitudine in puro auro, cum emendatione faciendæ familiæ suæ ad condignum honorem suum, & nobilitatem parentelæ suæ. Et rex Brochvail iudicium sufferre non potuit, & alio modo aurum redemit, largiendo Deo & sanctis Dubricio, Teliauo, & Oudoceo, & in manu Ciueilliauc episcopi villam *Tref Peren* cum sex modis terræ, &c.



ANNO  
CHRISTI  
886.

CONCILIVM NEMAVSENSE  
IN VILLA PORTV.

ADVERSVS SELVAM CLERICVM HISPANVM,  
qui archiepiscopatum Narbonensem affectabat, a Theodardo archiepiscopo celebratum xv. Kalendas Decembris, sub annum Christi DCCCXXCVI.

EX monumentis ecclesiæ Narbonensis constat, Theodardum post susceptum anno DCCCXXCV. pontificatum, Romam mox adiisse ad Stephanum V. papam, ab eoque pallium impetrasse, &c.

*Concil. Tom. 24.*

Bbbb ij